

nem liberè convertere, Deus in tali caſu non eſſet metaphyſicè omnipotens, quamvis eſſet moraliter omnipotens, quia converſio libera eſt poſſibilis noſtræ voluntati, non ſolum moraliter, ſed etiam metaphyſicè: ergo non evitatur principale abſurdum, à nobis intentum, de ablatione omnipotentia à Deo.

57 Solum ſuperſt occurrere duobus exemplis deſumptis ex noſtra doctrina, quibus muniatur adverſariorum evaſio adducta num. 54. Et imprimis primum exemplum, conſiſtens in Angelo malo inconvertibili, & inflexibili, non eſt ad rem. Primò, quia licet D. Thom. & eius Schola defendant, quòd Angelus malus, attentæ eius connaturali exigentia qua petijt inflexibiliter perſeverare in dictamine & electi one, quam ſemel deliberatè amplexus eſt, non poſſit à Deo converti; non tamen docent, Deum de potentia abſoluta non poſſe illum convertere tam neceſſariò, quam liberè: ideoque dicunt poſſe Deum, metaphyſicè loquendo, auferre ab eo dictaminem iam conceptum, vel per ſuſpenſionem concurſus, vel per immiſſionem alterius dictaminis omnino indifferentis, vi cuius Angelus conſtitueretur in ea indifferentia & libertate, quam habuit antea. Hoc enim quamvis eſſet contra eius exigentiam naturalem, ſecus verò contra exigentiam eſſentialem. *Secundò*: Nam dato caſu, quòd Deus non poſſet adhuc metaphyſicè illum convertere liberè, non fequeretur inconveniens, quòd inferretur ex ſententia contraria: iuxta quam Angelus cum quolibet auxilio poſſet proximè ſe liberè convertere; & Deus, attentæ tota collectione auxiliorum, non poſſet metaphyſicè illum convertere liberè. *Tertiò*: Nam adhuc permiſſo abſurdum, quòd Angelus poſſet ſe liberè convertere, & Deus non poſſet illum liberè convertere, longè eſſet illo maius, quòd deducitur ex modo dicendi adverſariorum: quia iuxta ipſos impotentia Dei ad convertendum Angelum eſſet omnino antecedens & abſoluta, cum ex ſuppoſitione ſibi non libera non poſſet in illo eventu conferre ei auxilium efficaci. At impotentia Dei ad convertendum liberè Angelum poſt lapſum, quamvis Angelus poſt illum poſſet ſe liberè convertere, ortum duceret ex aliqua ſuppoſitione ipſi Deo libera, ex libera nempe permiſſione peccati, cum potuiſſet Deus illum conſervare cum recto dictamine prædico, quòd habuit in primo inſtanti, ſicut conſervavit Angelum bonum. His ergo de cauſis hoc exemplum non eſt ad rem.

58 Circa ſecundum exemplum de voluntate inſtructa iudicio indifferente, quam Deus nec divinitus poſſet neceſſitate: Dicimus primò, rem hanc non eſſe adeo certam adhuc inter Thomiſtas, ut non deſint plures opinantes poſſe Deum de potentia abſoluta illam neceſſitate, etiamſi dirigatur iudicio indifferenti, ut

poſſet videri apud Palanco tract. de Providentia quaſt. 15. num. 65. Et licet opinio contraria ſit probabilior; nihil tamen favet modo dicendi Ieſuitarum, quem impugnamus. Quia ex prædicta opinione Thomiſtarum non ſequitur, aliquid poſſibile voluntati creatæ eſſe abſolutè impoſſibile Deo; cum converſio neceſſaria ſit etiam impoſſibile abſolutè voluntati creatæ, ſtante iudicio indifferente. Econtra verò ex modo dicendi Ieſuitarum ſequitur, aliquid eſſe abſolutè poſſibile voluntati creatæ, & abſolutè impoſſibile Deo.

## §. X.

*Secunda conclusio conſtituens efficaciam gratia in aliquo creato.*

59 **D**icendum eſt ſecundò, auxilium ex ſe & ab intrinſeco efficaci non conſiſtere in ſolo extrinſeco decreto Dei efficaci efficiente immediate in ipſa voluntate ipſum eius *velle*, & non mediante aliqua realitate creatæ ab eodem *velle* realiter diſtincta. Hæc conclusio eſt communis inter Thomiſtas. Et procedit contra Scotum in ſaniori eius ſenſu, & præcipue contra Illuſtriſſimum Palanco.

Et probatur hac vnicæ ratione adducta §. 7. Nam gratia ex ſe & ab intrinſeco efficaci in eo debet conſiſtere, per quod verè & propriè verificetur Deum facere, ut nos velimus, & Deum facere, ut nos faciamus; ſed de ſolo extrinſeco decreto Dei quantumvis efficaci, excluſa omni realitate creatæ voluntati ſuperaddita, & ab actione & *velle* realiter diſtincta, non verificatur verè & propriè, Deum facere, ut nos velimus, & Deum facere ut nos faciamus: ergo gratia ab intrinſeco efficaci non conſiſtit in ſolo Dei decreto extrinſeco, excluſa omni realitate creatæ diſtincta realiter à *velle*, & operatione creatis. Maior, præterquam quòd non negatur à Palanco, clare deducitur ex Scriptura, Concilijs, & SS. PP. præſertim D. Auguſtino, quorum teſtimonium dediſimus loco citato. Et adnotaviſimus, accipiendam eſſe in ſenſu proprio, quibus probant Thomiſta, & ipſe Palanco dari in Deo in ordine ad creaturam ſive neceſſariam, ſive liberam concurſum prævium, præmotionem, & prædeterminationem. Unde vel illæ locutiones in proprietate fermonis ſunt veræ, vel in Deo non dantur verè & propriè concurſus prævius, præmotio, & prædeterminatione intentæ à Thomiſtis contra Ieſuitas.

Minor probatur: Nam per illas locutiones ſignificatur, quòd Deus per ſuam gratiam efficacem movet voluntatem noſtram ad volendum, & quòd voluntas movetur à Deo ad volendum: item ſignificatur, quòd Deus movet agens

crea-

creatum ad agendum, & quòd agens creatum movetur à Deo ad agendum; ſed cum ſolo extrinſeco decreto Dei immediate terminato ad noſtrum *velle*, & operationem non verificatur verè & propriè, quòd Deus movet voluntatem noſtram ad volendum, & quòd voluntas noſtra movetur à Deo ad volendum: nec ſignificatur verè & propriè, quòd Deus movet agens creatum ad agendum, & quòd agens creatum movetur à Deo ad agendum: ergo cum ſolo decreto Dei extrinſeco non verificatur verè & propriè, Deum facere, ut nos velimus, & ut nos faciamus. Maior eſt certa: quia iſte, & illæ locutiones ſunt ſynonimæ. Minor verò probatur: nam per eas locutiones cum omni proprietate acceptas ſignificatur, voluntatem moveri per motum diſtinctum realiter ab ipſo *velle*; ſed, ſolo decreto Dei extrinſeco interveniente, non ſalvatur, quòd voluntas movetur per motum realiter diſtinctum ab ipſo *velle*: ergo cum ſolo decreto Dei extrinſeco immediate terminato ad noſtrum *velle* non verificatur verè & propriè, quòd Deus movet voluntatem noſtram ad volendum, & agens creatum ad agendum. Maior probatur: nam *voluntatem moveri verè & propriè ad volendum* ſignificat verum & realem motum, quo voluntas movetur ad ipſum *velle*, & quòd ipſum *velle* eſt terminus verus & realis prædicti motus: ergo per eas locutiones propriè acceptas ſignificatur, voluntatem moveri per motum diſtinctum realiter ab ipſo *velle*.

60 Huic rationi efficaci reſpondet Illuſtriſ. Palanco num. 28. tract. & quaſtione à nobis citat. num. 13. quòd voluntas poſſet verè & propriè moveri ad volendum aliquid vel tranſitive, vel in tranſitive. Inter hos duos modos hoc eſt diſcrimen, quòd *voluntatem moveri tranſitive ad aliquid volendum* ſignificat verum, & realem motum intermedium diſtinctum realiter ab ipſo *velle*: & in hoc ſenſu voluntas movetur à Deo per intentionem ſui ad volenda media. Cæterum *voluntatem moveri intranſitive ad aliquid volendum* non ſignificat motum realiter diſtinctum ab ipſo *velle*, nec ipſum *velle* eſt terminus realis prædicti motus. Et hoc poſteriori modo (inquit) movetur voluntas ad primam volitionem ſinis. Uterque tamen modus (addit num. 29.) eſt ſufficiens, ut voluntas dicatur verè & propriè mota ad volendum ſinem. ¶ Et quantum ad poſtèriorem modum illuſtrat exemplis: Nam imprimis verè & propriè dicitur, quòd generans vnit animam, v. g. rationalem, materiæ ad illam informandam, quamvis inter *virgi*, & *informare* non intercedat diſtinctio realis. Deinde propriè dicitur, quòd ſol illuminat diaphanum, ut luceat, licet ſint idem realiter *illuminari*, & *lucere*. Hoc ipſum confirmat num. 30. & 31. alijs exemplis: Nam de voluntate verè &

propriè dicitur, quòd movetur à fine ad volendum ſinem, quamvis non moveatur a fine per motum diſtinctum realiter à volitione ſinis. Item pes movetur ad ambulandum per potentiam exequentivam; quin movetur motu diſtincto realiter a motu deambulatiſ. Tandem intellectus ad intelligendum à voluntate; & voluntas movetur efficaciter, & quoad exercitium per imperium intellectus: eademque voluntas per intentionem ſe movet ad electionem; & tamen non intervenit motio diſtincta realiter à motu, ad quem movetur.

Sed hæc ſolutio (quæ tantum deſervit ad hallucinandos tyrones) noſtro iudicio contradictoria includit, dum ex vna parte concedit abſolutè & cum omni proprietate, voluntatem moveri à Deo ad aliquid volendum, & non moveri per motum realiter diſtinctum ab ipſa volitione. Hæc, inquam, implicatoria ſunt, ut conſtat ex ſequentibus impugnationibus.

61 Impugnatur ergo primò prædicta ſolutio: Nam verè & propriè verificatur Deum facere, ut agens creatum agat per actionem formaliter tranſeuntem, & conſequenter illud verè, & realiter movet, dum agit per actionem tranſeuntem; ſed hoc nequit verificari, ſecluſa omni realitate creatæ diſtincta ab ipſa actione, & recepta in ipſo agente: ſiquidem non poſſet moveri per talem actionem, cum in probabiliori ſententia non recipiatur in agente, ſed in paſſo, ut ſupponimus cum NN. Complur. ab brev. in ſua Phyſica diſp. 17. quaſt. 3. ergo ſaltem in hoc caſu concurſus prævius Dei, ſeu eius prædeterminatione nequit conſiſtere in actione Dei active ſumpta. Verum tamen eſt, quòd hæc replica nullam vim habet contra Palanco, qui prædictam ſententiam non admittit, ſed defendit oppoſitam. Sed nobis ſufficit præſentem controverſiam ſuadere per principia alibi ſtabilita.

62 Impugnatur ſecundò. Nam iuxta Div. Thom. quaſt. 3. de Potent. art. 7. (quo loco utitur præcipue Thomiſta, & ipſe Illuſtriſ. Palanco ad probandam ex mente D. Thom. prædeterminationem Dei) ita agens creatum movetur, & applicatur à Deo ad agendum, ſicut instrumentum movetur, & applicatur à cauſa principali, ſic enim ait: *Sequitur de neceſſitate, quòd Deus ſit cauſa actionis cuiuslibet rei naturalis, ut movens & applicans virtutem ad agendum*. Poſteaſque ſubdit: *Sic ergo Deus eſt cauſa omnis actionis, prout quodlibet agens eſt instrumentum divine virtutis operantis*; ſed de ratione instrumenti eſt, quòd agat actionem principalis agentis per motionem realiter diſtinctam ab ipſa actione: ergo omne agens creatum movetur, & applicatur à Deo ad agendum per motionem realiter diſtinctam ab ipſa actione.

Nec habet locum, ad hanc impugnationem evadendam, solutio aliquorum dicentium, causam secundam non esse instrumentum proprie, & specialiter dictum respectu primæ, & propterea non indiget motione realiter distincta ab actione, quæ à Deo proveniat. ¶ Nam frequenter docet D. Thom. quod in omni effectu creato est aliquid, videlicet existentia, quæ est specialissimus effectus Dei, & respectu cuius agens creatum est instrumentum ipsius Dei, habens omnia ea quæ sunt propria rigorosi instrumenti. Et propterea Palanco non acquiescit prædictæ solutioni, sed se convertit ad aliam, dicens non esse de ratione instrumenti rigorosi, quod moveatur à causa principali per motionem realiter distinctam ab actione, ad quam movetur, & applicatur, sed eandem actionem prout virtuosam esse participatione causæ principalis esse id, per quod tale instrumentum elevatur, movetur, & applicatur ad effectum causæ principalis.

Sed hæc opinio, circa elevationem & motionem instrumenti à causa principali, multipliciter poterat refelli. A quo tamen ablineamus, quia est res purè philosophica, & opposita opinio defenditur à NN. Complut. ab brev. in sua Physica disp. 12. quæst. 1. Sufficiat adducere quoddam testimonium D. Thom. inter alia ad præfatam opinionem refellendam, Angelicus enim Præceptor loco proximè allegato ad 7. hæc habet: *Virtus naturalis, quæ est in rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis, ut quedam forma habens esse ratum & firmum in natura. Sed id, quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum: per modum quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis; sed de ipsa actione non potest verificari, quod habet esse incompletum, cum directe collocetur in speciali prædicamento: ergo iuxta D. Thom. motio, & applicatio causæ instrumentalis à causa principali, & applicatio causæ secundæ à Deo ad agendum est aliqua realitas distincta ab ipsa actione. Hoc testimonium est adeo vrgens pro prædeterminatione Dei consistente in qualitate incompleta, impressa causis secundis sive necessarijs, sive liberis, ut vel ipsi Patres Societatis sincerè fateantur stare pro illa. Quamvis Pater Suarez pluribus locis recurat ad tacitam retractionem, eò quod non meminerit D. Thom. prædictæ motionis agens sapè, & exquisitè de eodem puncto. Sed hoc effugium est negativum, & propterea nullius momenti. Præsertim, quia D. Thom. non solum in loco allegato de Potent. comparat motionem causæ secundæ à prima cum motione instrumenti rigorosi à causa principali, sed alijs in locis habet eundem modum loquendi circa motionem instrumenti à causa principali: nam in 4. dist.*

1. art. 4. quæstiunc. 2. corpus articuli sic absolvit: *Quia sacramenta non faciunt effectum spirituales, nisi inquantum sunt instrumenta; ideo virtus spiritualis est in eis, non quasi ens fixum, sed sicut ens incompletum.* Et ad 1. ait: *Virtus hæc, quæ est in sacramentis, reducitur ad genus, in quo est virtus principalis agentis, quæ est qualitas, vel in quo esset, si esset in genere. Quo quid clarius? Et ad 4. inquit: In re corporali non potest esse virtus spiritualis secundum esse completum, potest tamen ibi esse per modum intentionis sicut in instrumentis motis ab artifice est virtus artis.* Et 3. part. quæst. 62. art. 3. & art. 4. ad 2. idipsum clarissimè docet his verbis: *Sicut motus, eò quod est actus imperfectus, non proprie est in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfecti: ita virtus instrumentalis non est, proprie loquendo, in aliquo genere, sed reducitur ad genus, & speciem virtutis perfectæ, scilicet qualitatis.* Eni quomodo meminit expressè qualitatis incompletæ, quam negat Suarez. En que quomodo expressè docet, instrumenta moveri per qualitatem fluidam, & incompletam, ac proinde distinctam ab ipsa actione, ad quam moventur, quam negat Palanco: Ergo causa secunda, sive necessaria, sive libera movetur à Deo, & applicatur ad agendum per qualitatem fluidam, & incompletam distinctam realiter ab actione, ad quam movetur. Adde: Nam D. Thom. loco citat. ex 3. part. per totam quæstionem, alijsque in locis docet, quod in sacramentis est virtus entitative spiritualis ad eliciendam actionem spirituales instrumentalem ex virtute divina circa animam, & ad producendum similiter effectum spirituales correspondentem virtuti divinæ, scilicet gratiam; sed hoc verificari non valet, si instrumentum movetur per actionem propriam ipsorum sacramentorum, ut virtuosam ex virtute divina, prout docet Palanco: nam prædicta actio est entitative corporalis, & in eadem entitate realiter indivisibilis nequeunt identificari realiter formalitas corporea, & formalitas spiritualis; formalitas naturalis, & formalitas supernoaturalis: ergo vel Palanco contradicit D. Thomæ, vel fateri oportet, quod instrumentum non movetur, & applicatur à causa principali per actionem propriam ipsius instrumenti, sed per prædictam qualitatem incompletam; idem dicendum est de applicatione causæ secundæ à primæ: ergo &c.

63 Impugnatur tertio eadem solutio: Nam si causa secunda non movetur à Deo, & applicaretur ad volendum finem, seu ad agendum per realitatem creatam realiter distinctam ab ipsa actione, sequeretur, in Deo non dari concursum prævium distinctum à simultaneo; hoc non potest admitti in sententia Thomistarum: ergo Deus non solum movet causam secundam

ad

ad volendum, & ad agendum per actionem ipsius creaturæ, sed etiam per aliquid creatum prævium realiter distinctum ab ipsa actione. Sequela maioris probatur: Nam Deus concurrit simultaneè ad omnem actionem creaturæ; sed prædictus concursus non aliter depingi potest in sententia Thomistarum, nisi prout concursus prævius ponitur à Palanco: ad concursum enim prævium verificandum, iuxta Palanco, satis est, quod actio & motio Dei activa sit prior realiter actione creaturæ, & hoc pacto concursus simultaneus Dei activè sumptus præcedit realiter actionem creaturæ, si verum est, quod ad eam concurrit simultaneè, cum Deus non agat vnumque per actionem formaliter transcendentem, ut docent omnes Thomistæ cum Ang. Præcept. locis citatis numer. 24. ergo idem formalissimè esset concursus prævius cum simultaneo.

Palanco, ad hanc fortissimam instantiam præcavendam, docet sapè in toto tract. de Provid. præcipue quæst. 9. à num. 165. concursum simultaneum Dei non terminari ad volitionem maxime primam, nec ad actionem, sed præcisè ad terminum illius. Cui modo dicendi adeo tenaciter adhaeret, ut simul firmiter doceat, contra communem sensum Thomistarum, Deum non concurrere simultaneè ad actionem, que nullum producit terminum, nempe ad visionem beatam. Motivum eius principale in eo consistit, quia est contra rationem concursus simultaneæ duarum causarum, quod influxus vnius dependeat realiter ab influxu alterius; & quod influxus simultaneus vnius, inquantum talis, sit natura prior influxu alterius: quod vitari non valet, si Deus agens per actionem formaliter immanentem, iuxta doctrinam D. Thom. & Thomistarum, agit in actionem creaturæ, prout actio est, concursus simultaneus, quatenus simultaneus est.

Sed hæc doctrina novitatem redolet, quod satis esset ad eam descrendam. Sed refellitur nostro iudicio efficaciter, & simul impugnatur quartò præcipua solutio. Nam ex ea sequitur, dari aliquam formalitatem realem in actione creata, quæ immediate, & actualiter non dependeat à Deo, sed tantum mediatè, eò modo quo iuxta Durand. actiones dependent à Deo ratione productionis, & conservationis causæ secundæ; sed hoc non potest admitti: ergo nec debet admitti, quod concursus Dei prævius tantum dicatur ille qui, prioritate naturæ attingit immediatè actionem causæ secundæ nihil prævium agens in ipsa causa secunda. Sequela maioris suadetur: nam actio prout à causa secundæ, seu egressio activa ipsius actionis à causa secunda est vera realis formalitas, & non purum ens rationis; sed iuxta doctrinam proximè traditam hæc formalitas non dependeret immediatè, & actualiter à Deo: non ratione

concurfus simultaneæ itabilite à Palanco, ut supponitur: nec ratione concursus prævii ab eodem explicari, quia non importat prioritatem causalitatis realis respectu illius complexi, sed præcisè respectu actionis: ergo sequeretur, aliquam formalitatem realem actionis creatæ non dependere à Deo immediatè, & actualiter.

Prævidit hoc Illustrissimus Palanco tract. citato quæst. 9. num. 136. & dicit, Deum producentem immediatè actionem creaturæ non illam producere in abstracto & secundum se, sed in concreto, itaut terminus totalis immediatus actionis divinæ sit causam secundam agere: quia sua actione immanente non facit causam secundam tantum passivè accipere suam actionem; sed positivè facit principaliter causam secundam agere per suam actionem. ¶ Sed hoc est à nobis imperceptibile, nempe quod Deus faciat causam secundam agere per suam actionem, quin moveat eam intrinsecè per aliquid prævium distinctum realiter ab ipsa actione. Nam iuxta communem sententiam Theologorum potest Deus per se solum producere actionem non vitalem, quæ in sententia huius Authoris recipitur in agente; & nulla repugnantia tunc foret in eo, quod calefactio v. g. reciperetur in igne: en quomodo in tali casu actio Dei immanens immediatè produceret calefactionem in abstracto, quin verificetur, quod totum hoc complexum causam secundam agere sit terminus totalis actionis divinæ; sed iuxta præfatum modum dicendi prædicti Authoris nihil amplius facit concursus prævius Dei: ergo nequit per illum verificari, quod Deus est causa totius complexi relati. Adde: Quia iuxta Magn. Parentem Augusti. lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 17. *Ut ergo velimus, sine nobis operatur. Cum quidem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur.* Ecce brevier descriptos, & egregiè dilucidatos duos concursus divinos, prævium scilicet, & simultaneum, non iuxta sensum prælaudati Authoris, sed iuxta communem acceptionem Thomistarum. Quos sic explicamus.

Nam prius Deus movet creaturam, & voluntatem sine illis per aliquid prævium præcedens realiter actionem, & volitionem: & ratione illius cum omni proprietate verificatur, quod Deus facit, ut velimus, & faciamus, & quod hoc complexum actio prout à causa secundæ est absolute terminus actionis Dei. Et hic concursus est propriissimè prævius. Postea elicit immediatè simul cum creatura, & voluntate actionem, & volitionem: & tunc verificatur, nobiscum Deum cooperari iuxta assertum D. Augusti. quod proprium est concursus simultanei. Nec quaerenda est omnimoda similitudo inter concursum simultaneum duorum, portantium lapidem, & inter concursum simultaneum Dei, & creaturæ ad eandem actionem. Nam

cui

cum ex vna parte prior concursus sit necessarius ob rationem praefatam, & ex alia non debeat concedi ex parte Dei duplex concursus praevius, oportet dicere, quod prior ille concursus, quo Deus operatur sine nobis, est solus concursus praevius; posterior vero, quo cooperatur nobiscum, est simulaneus: & in hoc stat tantum similitudo duorum portantium lapidem, & simul cooperantium ad illius portationem. Disparitas autem stat in eo, quod ex duobus portantibus lapidem actio vnius non dependet ab actione alterius: quo pacto Deus non cooperatur creaturae, cum actio Dei sit prior naturae actione creaturae. Si vero velis hunc posteriorem concursum respectu actionis creaturae nuncupare praevium propter talem prioritatem, & simultaneum respectu effectus producti ab eadem actione, vel respectu actionis non productis terminum, quatenus effectus est, & non quatenus actio (in eadem enim actione possunt formaliter eminenter adunari propriae ratio effectus, & ratio actionis) non inficiabimur. Cum hoc tamen discrimine, quod prior concursus supra explicatus dicendus est rigorose praevius; & posterior relatè ad priorem improprie & secundum quid.

64 Impugnatur quintè eadem solutio: Nam ab indifferenti ut *indifferenti* nequit exire operatio determinata; sed voluntas, adhuc constituta cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad volendum, est indifferens tam quoad specificationem, quam quoad exercitium ad volendum, ergo necesse est, quod ab alio determinetur; sed non determinatur neque quoad specificationem, neque quoad exercitium per solum decretum Dei extrinsecum: ergo concedenda est omnino alia realitas creata voluntati impressa, & realiter distincta à volitione. Maior est doctrina expressa D. Thom. locis adductis num. 20. confirmation. 1. Minor quoad secundam partem non negatur à Palanco. Et quoad primam constat: nam voluntas v. g. Angeli in secundo instanti constituta erat cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad volendum Deum ultimum finem supernaturalem, & ad volendam propriam excellentiam per modum ultimi finis Deo non subordinati, eratque indifferens ad utrumque finem diligendum, quod est esse indifferens quoad specificationem. Consequens legitime deducitur ex praemissis. Continetque propositionem formalem D. Thom. quam ex 1. part. adduximus loco citato, & erat huiusmodi: *Causa, quae est ex se contingens, oportet, quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum*. Minor vero sublimpta probatur: nam praedicta indifferencia est activa simul, & passiva; sed indifferencia activa, simul & passiva voluntatis non potest determinari per solum decretum Dei extrinsecum; quia per illud solum, & non addita voluntati aliqua rea-

litate intrinseca distincta realiter ab ipsa actione, non vitatur, quod sit agens, & passum respectu eiusdem, & secundum idem: ergo per solum decretum Dei extrinsecum non determinatur voluntas quoad specificationem, & quoad exercitium.

Confirmatur hoc, & praecedens impugnatio magis explicatur. Nam idem non est in actu, & in potentia respectu eiusdem, ut tradit D. Thom. 1. Contra gent. cap. 13. & fusè probavimus num. 14. sed voluntas est in actu, & potentia respectu eiusdem, si solo movetur per actionem productam immediate per decretum Dei extrinsecum: siquidem est in potentia passiva ad recipiendam suam actionem, prout hæc terminat immediatè actionem immanentem Dei; & ipsa sine alio realiter superaddito est in actu respectu ipsius actionis: ergo movetur per aliquid creatum praevium distinctum realiter ab ipsa actione.

Qua confirmatione rectè intellecta, manet praecipua doctrina, qua Palanco quaest. 14. sapè relata num. 109. occurrit praefatae impugnationi. Inquit enim primò, quod voluntas, instructa omnibus requisitis ex parte actus primi, non habet indifferenciam quoad specificationem. Unde illud principium, *A principio indifferenti, ut indifferenti, non potest exire actio determinata*, si intelligatur de operatione determinata in specie, solum habet locum in illo principio, cui deest aliquod praerequisitum ex parte actus primi. ¶ Sed hæc evasio, quæ est potissima Patrum Societatis, ut vidimus num. 16. satis impugnata manet ibi. Praefertim, quia illud principium est indifferens ad speciem operationis, quod habet potentiam activam simul, & passivam ad duas operationes contrarias; sed voluntas, suppositis omnibus requisitis ad consensum, habet potentiam activam ad illum, & ad dissentium, ut supponitur; habet etiam potentiam passivam ad consensum, & dissentium, quia est in potentia passiva ad recipiendum utrumque divisim: ergo falsum est, quod illud principium relatè ad operationem determinatam in specie intelligitur de illo principio, cui deest aliquid requisitum ex parte actus primi.

Inquit secundo, quod voluntas instructa omnibus requisitis ex parte actus primi ad volendum, & indifferens quoad exercitium, non determinatur formaliter, & intrinsecè quoad exercitium prius prioritate reali ante tale exercitium seu operationem: quia non est alia determinatio formalis quoad exercitium, quam ipsi actu agere. Unde insert, quod ab indifferenti quoad exercitium non prius determinato ad exercitium potest exire actio determinata, dummodò prius determinetur causaliter, & effectivè à Deo ad talem actionem, ut verificetur, quod determinatio formalis voluntatis subor-

subordinatur Deo, ut prius, & principalis determinanti. Ceterum contra hanc evasioneem virget sanè confirmatio nuper adducta, ut eam recolenti constabit.

65 Ex quibus impugnatur ultimò eadem solutio quoad plura, quæ pro ea tuenda adducit Palanco. Primò ait à num. 10. quod Div. August. non dixit, Deum facere, ut velimus, præbendo vires efficacissimas ad volendum; sed supposito *velle* ait, Deum facere, ut faciamus, addendo vires & connatus efficacissimos actui voluntatis ad faciendum. ¶ Sed contrà est. Tum quia D. August. utrumque dixit, & Deum facere, ut velimus, & Deum facere, ut faciamus, ut patebit totum textum illius ex cap. 16. de Grat. & lib. arbit. legenti. Ait enim: *Si volueris, servabis mandata. Certum est enim nos mandata servare, si volumus* (intelligi efficaciter) *Sed quia preparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est nos velle, cum volumus; sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est. Preparatur voluntas à Domino. Et postea subdit. Certum est nos facere, cum facimus; sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. Ergo iuxta D. August. Deus non solum facit, ut faciamus; sed etiam facit, ut velimus. Tum etiam, Nam ex modo, quo Palanco explicat D. Augustinum, sequitur, quod gratia efficax ad faciendum, seu ad servanda mandata sit ipsum *velle* efficacissimum, quod præcedit realiter ipsum *facere*, & mandatorum observantiam: ergo iam concedit aliam gratiam efficacem, verè & realiter præviam creatam in ordine ad *facere*; sed non minoris efficacitæ vires requiruntur ad ipsum *velle* efficacissimum: ergo ex mente August. etiam tenetur concedere gratiam efficacem creatam verè, & realiter præviam ad ipsum *velle*. ¶ Confirmatur. Quia non solum procedit à nostra voluntate ipsum *velle* utrumque, sed etiam ut efficacissimum ad faciendum, quia essentialiter est voluntarium; sed quia Deus efficaciter facit per ipsum *velle* efficax, ut faciamus, concedis dari gratiam efficacem creatam consistentem in ipso *velle*, quæ præcedat realiter ipsum *facere*: ergo cum Deus etiam faciat efficaciter, ut velimus efficaciter, etiam concedere tenetur gratiam efficacem creatamque præcedat realiter ipsum *velle*.*

Secundo dicit num. 42. quod ipsum *velle*, prout provenit à Deo, & recipitur in voluntate, est prius seipso, quatenus est actio elicità à voluntate, prioritate saltem intelligentiæ. Quo pacto tentat salvare communem nostram replicam consistentem in eo, quod *voluntatem moveri ad volendum finem* significat aliquem ordinem, & successioneem intra recipere motum ad amorem eliciendum, & inter elicere amorem,

¶ Sed contrà. Quia ex hoc modo dicendi sequitur primò, quod volitio bis recipiatur in voluntate, itaut prius recipiatur à Deo; & postquam voluntas illam elicit, ulterius recipiatur ab ipsa voluntate, cum ab ea procedat vitaliter. ¶ Sequitur secundo, quod gratia efficax non tam consideret in decreto Dei extrinsecò, quam in ipsa volitione prout procedit à Deo, & procedit seipsam prout procedit ab ipsa voluntate creata. Quo pacto constituunt gratiam efficacem plures in tertia conclusione impugnandi, quorum aliquos refert in sui favorem ipse Palanco à num. 81.

Tertiò inquit num. 46. quod *voluntatem esse motam à Deo* vnicè dicit respectum ad Deum, prout recipit actionem ab ipso, & ipsa actio consideratur præcisè ut passio: *voluntatem* verò esse agentem dicit respectum ad terminum, prout actio activè procedit ab ea, & tendit ad terminum. ¶ *Contra est.* Quia hæc doctrina nequit applicari, quando agens non producit terminum, cum iam non diceretur verè agens, quod nullus concedit. Adde maiorem confirmationem ad hoc: ut gratia efficax non consistat proximè in actione Dei, sed in actione creaturæ, prout prius respicit Deum illam producentem.

Tandem dicit num. 49. quod voluntas in prima volitione finis tantum movetur à Deo; & in secunda volitione post primam tantum movetur à seipsa, & quod prima volitio potest dici *physica præmotio* respectu posterioris. ¶ Sed contrà est. Nam ex hac doctrina sequitur primò, quod prima volitio finis non sit vitalis: quod est contra communem sensum Theologorum, & contra essentiam eiusdem volitionis consistentem in eo, quod sit voluntaria, & consequenter procedat à voluntate. ¶ Sequitur secundo, quod prima volitio sit rigorosa præmotio realiter prævia ad secundam volitionem. Ex quo arguitur efficaciter: Non minus proprie voluntas movetur à Deo ad primam volitionem finis, ac ad secundam; sed quia proprie movetur ad secundam volitionem, concedis gratiam creatam efficacem, quæ eam præcedat realiter: ergo idem dicendum est de gratia efficaci in ordine ad primam.

## §. XI.

Argumenta, quæ contra secundam conclusionem adducit Palanco.

66 Prius proponemus argumenta, quæ congerit contra secundam conclusionem Palanco, ut ab eis expediatur progrediamur ad solvenda argumenta recentiorum Societatis.

Primò arguit aliquibus testimonijs Magni Parent August. quibus à num. 3. vsque ad num.

15. intendit probare, S. Doctorem non tradere alium modum, quo Deus moveat corda hominum, nisi producendo immediate eorum operationem. A quo tamen supercedimus: quia convenientem expositionem habent, si dicatur primò, quòd D. August. nunquam excludit motionem præviã creatam à volitione distinctam; cum nunquam dixisset, quòd immediate, hoc est sine aliqua motione creata media, producat nostrum *velle*. Vel si dicatur secundò, quòd virtualiter meminit prædictæ motionis mediæ creatæ: quia sine illa salvari nequit, quòd Deus verè & propriè *facit, et nos volumus, & faciamus*, vt loquitur August.

Secundo arguit à num. 16. alijs autoritatibus D. Thomæ: in quibus non solum non meminit prædictæ motionis, quæ sanè esset degenerè qualitatis, sed etiam positivè illam excludit, remouetque expressè aliam quancunque formam voluntati impressam distinctam ab operatione. A quo etiam supercedimus: quia, vt ex contextu illarum constat, tantum intendit excludere qualitatem per modum, *qualitatis*, & formam per modum *habitus*, secus verò qualitatem, & formam viablem & per modum motus. *Adde*: Quia expressè concedit prædictam formam, & qualitatem viablem & per modum morus locis adductis num. 62. Unde falsum est, quòd inquit Palanco num. 18. adesse textum expressum D. Thomæ, pro sua sententiã negantem qualitatem & formam; & pro nostra solum extare aliquas explicationes, & coniecturas ex verbis illius. Quapropter omisso argumento ab autoritate:

Arguitur primò à ratione: Nam concursus, quo Deus operatur in omni operante, est concursus præuius; sed prout operatur immediate in omni operante, operatur immediate operationem creaturæ: ergo per concursum præviũ operatur Deus immediate operationem, & non mediã aliqua realitate creata. Consequens legitime infertur. Et præmissæ sunt D. Thom. quæst. 3. de Potent. art. 7. in corp. vbi concludit: *Sequitur, quòd ipse in quolibet operante immediate operatur.*

Confirmatur primò. Nam D. Thom. ibi ad 4. ait: *Tam Deus, quam natura immediate operantur: licet ordinentur secundum prius, & posterius*; sed ordo secundum prius, & posterius non datur in concursu simultaneo: ergo sentit D. Thom. quòd Deus concursu prævio operatur immediate: ergo non mediã aliqua realitate creata.

Confirmatur secundò. Quia nullum ens creatum, nullaque formalitas existit, ad quam Deus non concurrat immediate: ergo actio prout à creatura procedit à Deo immediate, sed non ratione concursus simultanei: ergo ratione concursus præviij; ergo illam formalitatem producit Deus per concursum præviũ immediatè,

& non mediã realitate creata. Omnia constant præter minorem subsumptam. Quæ sic probatur: nam concursus præuius ponitur à Thomistis, quia concursus simultaneus non potest attingere prædictam formalitatem: ergo Deus non illam producit ratione concursus simultanei.

Ad argument. respondetur primò, dupliciter posse dici, Deum operari immediate in omni operante, vel quatenus in eo producit aliquid realiter distinctum ab operatione, & præviũ ad eam: & hoc pacto iam salvatur iuxta nostram sententiã, quòd Deus immediatissime operatur in omni operante, vt ex fe liquet. Vel quatenus immediate in eo producit illius operationem: & hoc modo Deus etiam operatur immediate in omni operante, sed non per concursum rigorosissime præviũ, sed per simultaneum, iuxta dicta num. 63. & iuxta hanc solutionem intelligendus est D. Thomas. ¶ Respondetur secundò, quòd est Deus concurrat ad operationem creaturæ mediã aliqua realitate creata, quo pacto producit illam per concursum præviũ, hoc non tollit, vt concursus actiuis Dei in ordine ad operationem dicatur immediatus: quia talis realitas non habet rationem virtutis, aut habitus se tenentis ex parte actus primi, sed tantum habet rationem applicationis & motus, & propterea non ponit in numero cum virtute, & actione in-creata, & actiua Dei. Sicut nec motus, quo calor producit calorem, tollit, quòd immediate illum producat. Ex quo iam constat ad utramque confirmationem.

67. Arguitur secundò. Nam sine realitate prævia salvatur omnis subordinatio & dependentia voluntatis à Deo: ergo etiam gratia efficax salvatur sine illa. Consequentia est legitima: quia non sunt multiplicandæ realitates sine necessitate, iuxta illud proloquium, *Frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora*. Antecedens probatur: nam per hoc, quòd Deus sua actione immanenti attingat immediatè actionem voluntatis, salvatur prioritas naturæ respectu talis actionis; sed eo ipso salvatur omnis subordinatio & dependentia à Deo: quia salvatur, quòd Deus sit primum agens, primum movens, primum determinans, & voluntas secundum: quia recipit suam actionem à Deo præviè agente: ergo salvatur omnimodà subordinatio & dependentia voluntatis à Deo: nam nulla alia subordinatio restat præter adductas; vel si restat, ex dictis deducitur.

Respondetur facillè ex dictis num. 63. negando antecedens. Ad cuius probationem dicimus, totam subordinacionem in ea adductam salvari per concursum simultaneum à nobis ibi explicatum. Sed ultra prædictas subordinaciones & dependentias restat alia, nempe quòd hæc formalitas, seu hoc complexum vt tale

actio-

actionem prout à creatura dependeat immediate, absolute modo longe diverso, quo dependet iuxta sententiam Durandi. Et hoc salvati non potest per concursum actiũ Dei immediate terminatum ad actionem voluntatis, quin prius terminetur ad ipsam voluntatem per aliquid realiter præviũ, & intrinsecè voluntati insulam.

68. Arguitur tertio. Nam prædicta realitas prævia nequit deservire ad hoc, vt reducat voluntatem de potentia ad actum: ergo non est necessaria. Patet consequentia: nam ad nihil aliud videtur requiri. Antecedens probatur: nam prædicta realitas est potentialis, vt potest distincta ab actione: ergo nequit deservire ad hoc, vt reducat voluntatem de potentia ad actum. Consequentia probatur: nam voluntas solum potest reduci ad actum per suum exercitium actuale: ergo, si prædicta realitas est potentialis, nequit deservire ad hoc, vt voluntas reducat de potentia ad actum, seu exercitium amandi.

Respondetur distinguendo antecedens: nequit deservire ad hoc, vt reducat formaliter de potentia ad actum, concedo antecedens; actiue, nego antecedens. Ad cuius probationem negandum est antecedens. Nam quamvis talis realitas sit realiter distincta ab actione: qua ratione non est actus purus & infinitus; non tamen est in potentia passiva ad recipiendam actionem: ad quod sufficit, quòd essentialiter sit applicatio virtutis potentialis, simul & actiue ad agendum, ob quam rationem est participatio, etsi inadæquata, divina efficacis & actualitatis. Huius doctrinæ, ne videatur voluntaria, non leve signum est, quòd idem nequit esse in actu, & in potentia respectu eiusdem. Ad quod vitandum, necesse est fateri, quòd voluntas in prima volitione finis, secundum se considerata, est in potentia passiva ad illum, & per promotionem à nobis assignatam constituitur in actu initiative ad ipsum exercitium eiusdem voluntatis producendum. Hoc magis vrget in sententiã, quam defendit Palanco iuxta quam actio formaliter transiens recipitur in agente: in qua suppositione nequit vitari, quòd idem sit agens, & passum, in actu, & potentia respectu eiusdem, & secundum idem, nisi concedatur aliqua realitas vnicè actiua præcedens realiter actionem: vt arguebamus num. 64.

69. Arguitur quarto (& potest esse replica contra solutionem proximè datam) Nam voluntas vt informata illa realitate indiget moveri à Deo, vt exeat in exercitium formale amandi: ergo vel est superflua, vel datur processus in infinitum. Patet consequentia: quia talis realitas ad hoc vnicè ponitur, vt voluntas exeat in actum: vnde si, illa posita, adhuc indiget motione divina, manifestè sequitur, vel quòd est superflua, vel quòd datur processus in infinitum.

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

Antecedens verò probatur: tum ex Diva Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 9. in corp. vbi ait: *Nulla res creata potest in quancunque actum prodire nisi virtute motionis divinæ*. Ubi loquitur de quolibet principio creato actiue; sed voluntas vt informata prædicta realitate est principium actiũ creatum: ergo indiget moveri à Deo, vt exeat in exercitium formale amandi. *Tum etiam*: Nam voluntas cum illa realitate non est in actuali exercitio amandi: ergo est in potentia passiva ad illud; sed propter hanc rationem voluntas sine realitate indiget motione, vt exeat in exercitium formale amandi: ergo idem quod prius.

Confirmatur primò. Quia illa realitas creata non est participatio actualitatis divinæ sub ratione actus secundi, cum non sit actus voluntatis, sed via ad illum: ergo est sub ratione actus primi: ergo indiget motione Dei. Patet hæc vltima consequentia: quia hæc ratioe omnis alia virtus creata indiget motione Dei, vt prodeat in actum secundum.

Confirmatur secundò: Quia motio Dei per illam realitatem adhuc relinquit voluntatem in potentia passiva ad amorem, seu ad actum secundum; cum non sit motio vltimata & per modum actus secundi, sed intermedia: ergo indiget voluntas, vt informata per illam, vteriori motione. Consequentia videtur bona: nam quia voluntas pro priori ad talem motionem est in potentia passiva ad amorem, indiget motione divina.

Nec prodest dicere, quòd talis motio relinquit voluntatem in actu secundo initiative, applicative, & inchoative. Non, inquam, prodest: Quia non est actus secundus voluntatis inchoative; sed nec est actus inchoativus Dei: ergo non est actus secundus adhuc inchoativus. Maior imprimis probatur: nam per illam motionem non verificatur, quòd voluntas incipit formaliter agere, quia non est initium formalis actionis voluntatis, cum hæc sit realiter indivisibilis secundum initium, & secundum finem, cò quòd sit actus perfectus, & instantaneus, ad distinctionem actionis successivæ, quæ in suo motu formali consistit partibus realiter distinctis: ergo non est actus inchoativus voluntatis. Deinde probatur minor: nam actus secundus Dei, quo inchoat, & perficit actum secundum voluntatis, est actio interna Dei, iuxta principia Thomistarum, natura prior actione creata: ergo nec potest dici, quòd est actus secundus inchoativus Dei. *Adde*: Nam ex ipso, quòd talis motio sit actus secundus inchoativus, relinquit in potentia voluntatem ad actum secundum completum eiusdem voluntatis.

Ad argument. respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem desumptam ex D. Thom. dicimus, S. Doctorem intelligi de re creata, quæ sit principium actiũ per mo-

§ 2

dum

um potentie, virtutis, & habitus; secus vero de re creata, quæ est principium per modum applicationis, & motionis aliorum principiorum ad agendum, ne detur processus in infinitum, vt deducebat arguens. Unde sicut relatio, quia est id, quo alia referuntur, non indiget alia relatione ad hoc, vt ipsa referatur: nec vnio indiget alia vnione, vt ipsa vniantur, quia est ratio formalis vnionis alia; pariter voluntas, vt informata prædicta realitate, non indiget alia motione, quia essentialiter est motio efficiens Dei faciens formaliter, vt voluntas simul cum ea active influat in suam actionem. *Ad secundum:* Respondetur, concessio antecedenti, distinguendo consequens: est in potentia passiva ad exercitium amandi, quatenus secundum se illud postea recipit, concedo consequentiam: quatenus realitas ei superaddita est in potentia passiva ad illud recipiendum, nego consequentiam. Quamvis enim voluntas informata iam per illam realitatem, adhuc non habeat exercitium formale amandi, & propterea sit in potentia passiva ad illud secundum se considerata, & præcisa realitate; ipsa tamen realitas est actualis, & efficax determinatio ad illud: & propterea ipsa non est in potentia passiva ad illud, nec voluntas: vt informata per eam, indiget ulteriori motione & applicatione Dei. Alia ratio est de voluntate sine ipsa realitate, qua nullo modo est determinata ad exercitium amandi.

Ad primam confirmationem respondetur, iuxta solutionem datam num. præced. negando antecedens. Nec illud vincit probatio ibi inclusa. Nam supponimus, participationem ex genere esse partem sumere, & partem relinquere: qua ratione in re, quæ participat aliam, inueniri non debent omnes illæ formalitates, quæ in re participata inueniuntur. Unde in actualitate diuina sub expressione actus secundi & datur formalitas actus secundi, & datur formalitas efficacitatis: ex quibus exercitium formale amandi creatum participat formaliter, seu expressè primam formalitatem; sed realitas illa participat formaliter, & expressè secundam, & quodammodo primam, vel non ita perfectè sicut amor ipse creatus. *Vel potest dici:* quod realitas illa, in qua dicimus consistere promotionem Dei, participat actualitatem Dei sub ratione actus primi, non vtique seu quatenus concipitur à nobis imperfectè vt indifferens ad actum secundum; sed prout concipitur efficax, & coniunctus cum actu secundo: quo pacto alia quavis virtus creata non participat actum primum Dei, sed in priori sensu: & hac ratione indiget applicatione Dei, secus vero realitas prædicta.

Ad secundam respondetur suslinendo solutionem datam, si intelligatur iuxta dicta in hoc num. & præced. iuxta quæ ad replicam ref-

pondetur, negando maiorem: quia huiusmodi realitas potest dici actus secundus inchoativus voluntatis ad hunc sensum. Non quia in signo illius, præcedente prioritate naturæ exercitium formale amandi, ipsum exercitium formale amandi existat iam formaliter quoad aliquid sui, quasi habeat duas partes aliquo ordine successione gaudentes, nam hæc intelligentia est nimis crassa. Sed quia effectus formalis & primarius illius est reddere promotionem, & applicatam ad totum exercitium amandi voluntatem constitutam in actu primo proximo agendi, & propterea iam sapit quodammodo conditiones actus secundum.

Alia duo nobis obijcit Palanco: *Primum est:* Quia realitas illa nullo modo conducit ad hoc, vt voluntas cum illa præcontineat actum secundum consistentem in ipsa formali operatione, vt potest videri apud ipsum in relata quæst. 14. num. 107. *Secundum est:* Quia indicat, prædictam realitatem evertere nostram libertatem: quod conatur persuadere lato calamo per totam quæst. 15. eiusdem tract. de Provid. Sed ad vtrumque hoc argument. expresse constabit, dum argumenta recentiorum Societatis proponamus, quæ vnice accomodabimus nostræ qualitati prædeterminanti.

70. Tantum restat occurrere exemplis, quæ ex Palanco, & in favorem suæ opinionis adduximus num. 60. Quæ vnico verbo debilitantur; si dicatur, quod in prioribus exemplis, & alijs similibus, in quibus est sermo de vnione alius formæ ad præstandum suum effectum formalem, loquutio est impropria ex defectu distinctionis realis inter vnionem, & informationem talis formæ. In alijs exemplis, in quibus est sermo de motione, vt causa mota concurrat in genere causæ efficientis, loquutio est propria; sed in eis reperitur, aliqua vis impressa à causa movente in causa mota, præcedens prioritate naturæ operationem causæ motæ. Et ita se habent pes motus à potentia executiva ad ambulandum, intellectus motus à voluntate ad intelligendum, voluntas mota quoad exercitium per imperium prædictum intellectus, eademque voluntas vt mota efficaciter ad electionem per intentionem finis. Quæ poterant roborari doctrina expressa D. Thom. sed ab ea superfedemus, ob prolixitatem virandam. Invenietur tamen ipsa in toto nostro Opere. Ad exemplum verò voluntatis vt motæ à sine satis constat ex supra dictis num. 19.

\*.\*



## §. XII.

Duplex alia conclusio pro aversione duarum aliarum opinionum.

71. **D**ilectum est tertio, auxilium efficax non consistere formaliter in operatione creaturæ, prout prius intelligitur procedere à Deo, quam à causa secunda, sed esse aliquid impressum creaturæ distinctum realiter ab ipsa operatione adequatè accepta. Hæc conclusio, quæ est communior Thomistarum, sicut præcedens, procedit contra Lorcan, & nonnullos Thomistas, videlicet Ledesnam, Mag. Ildephonsum Michaëlem, & alios paucos, quos refer Palanco citata quæst. 14. a num. 81. nec non contra ipsum Palanco iuxta dicta num. 65. Et potest fraderi ratione adducta pro conclusione præcedenti, quæ non minus solidè hanc, quam illam suadet. Sed ad illam remittimus lectorem, & ad omnes impugnationes adductas §. 1. per totum pro ea fulcienda, ne actum agere videamur.

Probatur ergo alia ratione: Nam gratia efficax est vera causa consensus salutaris: ergo nequit consistere in ipso consensu, prout prius intelligitur procedere à Deo, quam à nostra voluntate. Consequentia est legitima: quia omnis causa vera est prior prioritate naturæ suo effectui, ac proinde distinctus realiter ab eo; quæ distinctio salvari nequit, si gratia efficax consistit in ipso consensu, prout prius intelligitur procedere à Deo, & ipsa negatur ab adversarijs. Antecedens probatur primò ex Magno Parente August. qui lib. de Correct. & grat. cap. 12. ait, quod auxilium efficax est, id quo aliquid fit: ergo comparatur per modum veri principij, & causæ ad actum. Patet consequentia: nam ineptè dicitur, quod consensus est id, quo consensus fit: sicut quod calefactio est id, quo calefactio fit. *Secundò:* Nam iuxta D. August. ibi Deus non solum donat nobis adiutorium seu gratiam, sine qua non possumus velle, sed etiam donat nobis adiutorium gratiæ, quo adiuvatur ipsum posse ad volendum, & quo movet ad volendum; sed adiutorium, quo adiuvatur nostrum posse ad volendum, est vera causa volitionis: ergo cum adiutorium, quo adiuvatur nostrum posse ad volendum, sit iuxta phrasim August. auxilium efficax, sequitur, quod hoc sit vera causa consensus salutaris. *Tertio:* Nam consensus salutaris est effectus verus, & realis voluntatis prout motæ à Deo ad ipsum consensum: ergo etiam est effectus ipsius motionis divinæ; sed motio divina consistit in auxilio efficaci: ergo consensus salutaris est effectus gratiæ efficacis. Omnia constant præter antecedens. Quod sic probatur: nam homo indiget ad agendum motione divina ratione gene-

rali agentis per actionem transeuntem, & immanentem, vt docet D. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 9. sed actio transiens ita procedit ab agente creato prout motæ à Deo, quod sit effectus verus & realis ipsius agentis prout motæ à Deo: siquidem non potest moveri à Deo per ipsam actionem: quatenus intelligitur prius procedere ab ipso Deo, cum adqueat recipiatur in passio extrinseco: ergo consensus salutaris est verus effectus voluntatis vt motæ à Deo. *Quarto:* Nam ita se habet causa creata vt motæ à Deo in ordine ad suam actionem, sicut instrumentum vt motum à causa principali, vt tradit D. Thom. quæst. 3. de Potent. art. 7. sed actio instrumentaria ita procedit ab instrumento vt motæ à causa principali, quod sit verus effectus ipsius instrumenti vt motæ à causa principali, vt latè probavimus cum D. Thom. num. 62. ergo etiam actio creaturæ est verus effectus causæ creatæ vt motæ à Deo.

Confirmatur primò. Si gratia efficax consistet in actione creata, prout prius intelligitur à Deo procedere, posset contingere casus, in quo auxilium sufficiens consisteret in actione creata, prout prius intelligitur procedere à Deo; sed hoc repugnat: ergo etiam repugnat, quod gratia efficax consistat in actione creaturæ, prout prius intelligitur procedere à Deo. Maior vtrò conceditur ab adversarijs, v. g. à Zumel 1. 2. quæst. 111. art. 2. disp. 1. Et à paritate constat: Nam si actio creata potest esse sufficiens motio Dei, vt creatura, agat, etiam eadem actio prout prius intelligitur procedere à Deo potest accipere ab eo quandam virtuositatem, itaut sit sufficiens elevatio creaturæ, vt hæc illam possit agere: & hoc pacto concedit Palanco instrumentum elevari à causa principali, vt notavimus num. 62. Minor verò probatur: Nam auxilium sufficiens in omnium sententia constituit actum primum; sed repugnat actum primum consistere in actione quomodocumque consideretur: quia essentialiter est actus secundus: ergo repugnat, quod auxilium sufficiens consistat in actione creata. *Adde:* Nam omnis actus primus ex proprijs meritis potest metaphysice separari ab actu secundo, vt docent omnes DD. sed hoc repugnet, si auxilium sufficiens consistet in ipsa actione creata, vt ex se liquet: ergo. *Adde secundò:* Nam verus actus primus inimpedibilis à nobis, & metaphysice connexus cum actu secundo, aufert libertatem in omnium sententia; sed si auxilium sufficiens consistet in nostra actione, prout prius intelligitur procedere à Deo, esset ex vna parte verus actus primus à nobis inimpedibilis, vt supponitur, & ex alia esset ex proprijs meritis infallibiliter connexus cum actu secundo, cum non distingueretur ab eo, ac proinde esset inseparabilis: ergo aufert libertatem: ergo impossibilis est casus, in quo auxilium suf-

sufficiens consistat in actione saltem libera, prout prius intelligitur procedere à Deo: ergo etiam est impossibilis casus, in quo actio libera, prout prius intelligitur oriri à Deo, sit auxilium efficax. Patet hæc vltima consequentia: nam propterea ab adversarijs negatur realitas distincta ex natura rei ab operatione, quia sentiunt aufferre libertatem, quæ ratio non minus efficax foret, si consisteret in ipsa operatione prout prius intelligitur voluntatem moveri à Deo per eam, vt consideranti constabit.

Confirmatur secundò. Nam nullum est signum, in quo possit concipi consensus procedere à Deo, non procedens à voluntate; sed motio Dei datur ad hoc, vt prædictus consensus procedat à voluntate: ergo motio Dei nequit consistere in ipso consensu, prout prius intelligitur procedere à Deo. Consequentia patet: nam motio Dei, cum sit ad hoc, vt voluntas agat, nequit non importare aliquem ordinem, seu prioritatem saltem intelligentiæ respectu consensus, prout procedit à voluntate; quod ipsi adversarij negare non audent. Maior verò, in ipsa sola est difficultas, suadetur nam nullum est signum, in quo consensus voluntatis create non sit ei vitalis, & voluntarius, sicut nullum est signum, in quo non sit consensus ipsius voluntatis; non est consensus, seu exercitium formale voluntatis divinæ, sed essentialiter est consensus, seu exercitium formale voluntatis create: ergo nullum est signum, in quo possit consensus concipi, vt procedens à Deo, & nostra voluntate. Nec in contra obijciunt adversarij aliquid momenti, quod ex dictis præced. non maneat præclusum, nisi quod ex realitate prævia evertitur libertas nostrorum actuum. Sed ad genus hoc argumenti infra respondebimus.

72. Dicendum est quartò, auxilium efficax non consistere in motione præcisè morali. Hæc procedit contra Arauxo tom. 2. in 1. 2. quæst. 111. art. 3. dub. 6. Quamvis Martinez de Prado in sua Metaphysica controverf. 12. art. 3. §. 2. num. 42. dicat loquutum esse ex aliena sententia: nam tractatus iste de gratia alienis laboribus est compositus. Procedit etiam contra Albedaim in 1. p. disp. 58. art. 3.

Videndum tamen est, in quo differat opinio horum Authorum gravium ab opinione Molinæ; & sociorum: quod præstare curamus ex relatione NN. Salmant. & P. Henao Iesuitæ, quia deest nobis illos legendi copia, dum hoc scribimus. Dicunt ergo primò, motionem moralem, per quam Deus prævia applicat voluntatem nostram ad operationem, consistere in intellectibus, & affectionibus indeliberatis, non quidem vt importent simplicem, & specificam tendentiam ad obiectum, seu quatenus præcisè illud proponunt voluntati, quia hoc modo pertinet talis motio ad actum pri-

mum, nec excedit rationem auxilij sufficientis, cum quo coniungi potest actus oppositus. Sed docent, prædictos actus internos habere rationem auxilij applicantis & inferentis infallibiliter determinatam operationem liberam, quatenus importent latentem quandam modum energiæ, & efficacitatis participatæ ab efficaci Dei decreto anteverteente consensum conditionatum creaturæ, excludenteque vsum, & regulationem scientiæ mediæ. Et in hoc opinio hæc tota feceritur ab opinione Molinæ. Dicunt secundò, quòd quamvis contingat vnum hominem converti, & alterum non converti cum eisdem motibus indeliberatis quoad substantiam; admittunt tamen aliquid intrinsecum saltem modale, ratione cuius prædicti motus habent rationem auxilij efficacis in eo, qui convertitur, ex cuius efficientia non sunt efficaces in eo, qui non convertitur. Dicunt tandem, quòd per præmotionem physicam, quam Thomista communiter defendunt, non aufferunt absolute libertas, licet quodammodo minatur. Et propterea dicunt, eam communiter non conferri, quia motio moralis nuper insinuata sufficit pro ordinarijs conversionibus, quamvis pro extraordinarijs v.g. D. Pauli, Magdalene &c. non distineatur physicam. His non obstantibus, hæc opinio Thomistarum cum prædictis declarationibus potest refelli, & nostra conclusio quarta potest probari omnibus impugnationibus adductis num. 43. vsque ad num. 49. Sed pro eis remittimus lectorem ad prædictum locum, & tantum probabimus conclusionem rationibus ibi non tactis.

73. Probatur ergo primò: Nam iuxta D. Thomam loco citato num. 62. *Sic Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum divinæ virtutis operantis*; sed de ratione omnis instrumenti rigorosi est, quòd moveatur, & applicetur physicè à causa principali: ergo de ratione omnis cause secundæ sive liberæ, sive necessariæ est, quòd pramoveatur, & applicetur physicè à Deo, & non tantum moraliter.

Confirmatur. Nam iuxta D. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 9. homo indiget motione divina ad agendum titulo agentis creati, sub quo comprehenditur causa necessaria; sed hæc nequit applicari à Deo ad agendum motione morali, sed præcisè motione physica: ergo agens liberum movetur à Deo non solum moraliter, sed etiam physicè.

Confirmatur secundò. Nam modus movendi physicè perfectior est, quam modus movendi præcisè moraliter, vt nullus negabit: ergo Deo concedendus est in ordine ad creaturam liberam in omnibus suis operationibus, dummodo non tollat, aut minuat eius libertatem; sed modus movendi physicè non tollit, nec minuit libertatem: ergo Deus sic movet creaturam libe-

ram ad omnes suas operationes, & conversiones. Minor subsumpta probatur: Nam Deus physicè movet voluntatem ad actus malos quoad entitatem materialem illorum, cum morali modo nequeat illam movere; & tamen non tollit, aut minuit eorum libertatem: ergo motio physica non tollit, nec minuit libertatem. Nec talis concursus prævis potest negari in principijs generalibus Thomistarum quoad materiale peccati. Primò, quia per concursum simultaneum præcisè non salvatur, quòd actus peccati prout à creatura dependeat à Deo; quòd salvari necesse est. Secundò, quia absque decreto ex se efficaci, & physicè prædeterminante ad entitatem prædicti actus non apparet, quo pacto, sine beneficio scientiæ mediæ, possit Deus certò cognoscere illam vt futuram.

74. Probatur secundò: Quia motio moralis, quomodocumque fingatur ab adversarijs, non connectitur infallibiliter cum libera conversione: ergo in ea nequit consistere auxilium ab intrinseco efficax. Patet consequentia: nam de ratione auxilij efficacis est connecti infallibiliter cum actu, vt omnes catholici consentunt. Antecedens probatur: nam post sanctam cogitationem, illustrationem, & post affectionem indeliberatam voluntatis omnino requiritur ex parte intellectus propositio indifferens obiecti coniungibilis cum quolibet extremo contradictionis, aut contrarietatis; sed hæc non connectitur infallibiliter cum conversione, vt ex se patet: ergo nec motio moralis, quomodocumque fingatur. Maior est certa; alias actus non esset liber: quia radix libertatis est iudicium indifferens, quo deficiente, necesse est, quòd non detur libertas: ob quam rationem motus primò primi voluntatis non sunt liberi nec amor beatificus.

Confirmatur. Motio moralis consistens in sancta cogitatione, & affectione indeliberata non potest infallibiliter connecti cum conversione absque dispendio libertatis: ergo non connectitur cum libera conversione. Antecedens probatur: nam prædicta motio, quomodocumque fingatur, si manet intra limites motionis moralis, constituit actum primam habens rationem auxilij sufficientis: ergo non potest infallibiliter connecti cum conversione absque dispendio libertatis. Patet consequentia: nam verus actus primus inimpedibilis à nobis, & metaphysicè connexus cum actu secundo auffer libertatem. Antecedens probatur: quia motio moralis manens intra limites motionis moralis consistit in propositione obiecti, vt notavimus num. 43. sed propositio obiecti habet rationem actus primi respectu actus voluntatis: ergo pertinet ad rationem actus primi.

Nec prodest recursus ad dispositionem & complexionem, cum quibus motio moralis attemperatur, & redditur efficax, & infallibili-

ter connexa cum conversione sine præiudicio libertatis. Non, inquam, prodest: Quia hinc sequitur, eandem gratiam ex se in vno esse efficacem, & in altero inefficacem. Sequitur etiam, efficaciam gratiæ non provenire vnicè ex participatione decreti divini ex se efficacis, sed compleri per hoc, quòd attemperetur cum natura. Rursum sequitur, discretionem consentientis à non consentiente non principaliter desumi ex ipsa gratia, cum eadem entitative possit esse in vtroque, sed ex natura. Hæc non possunt admittere adversarij, contra quos nunc agimus, quia esset relabi in principia Iesuitarum: ergo falsum est, quòd motio connectitur infallibiliter cum actu, ex eo quòd gratia attemperatur naturæ, Adde: Nam motio moralis, vt attemperata cum natura, vel habet infallibilem & metaphysicam connexionem cum actu ex vi prædicti complexi, vel ex præscientia conditionata? Hoc posterius dicere non valent adversarij, quia concederent cum Vazquez scientiam mediam: primum destruit libertatem: ergo nequit dici, quòd motio moralis, vt attemperata naturæ, connectitur metaphysicè cum actu. Minor probatur: quia totum illud complexum pertinet ad constituendum actum primum; sed quando actus primus ita metaphysicè connectitur cum actu, quòd non possit coniungi cum earentia illius metaphysicè, & ex natura rei destruitur libertas actus: ergo, si habet metaphysicam connexionem cum actu, destruit libertatem. Argumenta contra istam conclusionem proponemus inter argumenta recentiorum Societatis, quia communia sunt.

Ex dictis in quatuor conclusionibus liquido infertur, non solum dari gratiam ex natura sua efficacem, sed etiam consistere in quadam realitate realiter distincta ab operatione, intrinsecè recepta in potentia, à qua operatio procedit, moventeque potentiam physicè voluntatem ad vnanquamque operationem, itaut cum ipsa operatione transeat. Et propterea spectat ad genus qualitatis, & speciem dispositionis saltem reductivæ. Pro quo videndi sunt omnino NN. Salm. in hoc tract. de Gratia disp. 7. num. 331.

## §. XIII.

Sententia Societatis cum suis fundamentis.

75. PLura argumenta congerunt PP. Societatis adversus prædeterminationem Thomisticam, seu auxilium ex se & abintrinseco efficax, sive intrinsecum voluntati, sive extrinsecum. Ex quibus selectiora proponemus, ne hæc controversia radium inducat. Sed quia plura, & fortè præcipua iam enodata manent tract. 3. disp. 5. à num. 50. & tract. 4. disp. 3. à num. 79. ea breviter tangemus.

mus, remittentes leuorem ad prædicta loca pro eorum accuratiore solutione. Omnia verò argumenta, quæ adducimus, mediâ applicabimus qualitatè prædeterminanti, vt simul occurramus argumentis Thomistarum, contra quos egimus in secunda conclusione, & subsequentiibus.

Arguitur primò ex Scriptura: nam Matth. 11. dicitur: *Ve tibi Corozaim, ve tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere penitentiam egissent.* In quibus verbis habetur increpatio non solum absoluta, sed etiam comparatiua, qua ciues Corozaim, & Bethsaida Christus increpabat iustè, eò quòd eisdem signis, & virtutibus apud ipsos factis, ipsi non conuertebantur ad fidem, & Tyrj, & Sidones conuertebantur. Sed hæc reprehensio comparatiua vana & frigida foret, si ad actualem conuersionem requiritur essentialiter auxilium ab intrinseco efficax consistens in qualitate voluntati impressa: quia Tyrj, & Sidones illam abtque vilo merito suo, sed pro mera voluntate Dei habent, & Iudæi inculpabiliter ea carent: & propterea dispar omnino, & superior esset Tyriorum conditio, & iusta, & facilis Iudæorum excusatio, & responsio: ergo iuxta Scripturam non datur auxilium ex se efficax consistens in qualitate voluntati impressa.

Si verò recurratur, pro hoc argumento evadendo, ad Iudæorum præcedentia peccata, ratione quorum culpabiliter priuantur prædicta morione, honestaque excusatione. Potest instari in primo peccato demonum, qui sine propria culpa caruerunt prædicta qualitate simpliciter necessaria ad illud vitandum, cum Angelus boni illa donati fuerint: hincque demones non possunt iustè increpari comparatiuè ad bonos Angelos.

Confirmatur ex ipsa Scriptura: nam Eclesiast. 15. dicitur: *Apposui tibi ignem, & aquam: ante hominem vita, & mors: quod placuerit ei, dabitur illi.* Et Isaiæ dicitur: *Quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Sed cum his testimonijs non coheret qualitas prædeterminans: quia tollit indifferenciam, quæ iuxta prædicta testimonia debet determinari à voluntate creata: ergo iuxta Scripturam auxilium ex se efficax non datur consistens in prædicta qualitate.

Argumento tripliciter occurrit à nobis loco iam relato ex tract. 3. Et iuxta ibi dicta responderetur primò, eandem difficultatem fuisse D. Augustino obiectam à Pelagianis negantibus auxilium efficax, vt idem S. Doctor fert lib. de Correct. & grat. cap. 6. Et respondet cap. 7. *Perseuerantiam esse donum Dei. Iustè tamen correptimus eos, qui non perseuerarunt; ex bona quippe in malam vitam sua voluntate.*

te mutati sunt. Ubi, vt vides, iustè potuit corrigi malus Angelus increpatione comparatiua, tametsi caruerit auxilio ex se efficaci. Vide etiam pro hac increpatione comparatiua D. Anselmum lib. de Casu diaboli cap. 2. vbi discipulus cum Anselmo disputat eodem modo, quo Patres Societatis nobiscum, supponente, quòd perseuerantia est donum speciale Dei colatarum bono Angelo, & malo non concessum. Ut videas eodem modo militare contra sententiam Augustini, & Anselmi, ac contra nostram, & nostram esse vtrinque sancti Doctòris.

Respondetur secundò, hoc argumentum etiam militare contra PP. Societatis. Quia iuxta principia scientiæ mediæ nullus conuertitur, nisi Deus omnino gratiosè donet illi auxilium, sub quo prævidit illum conuersurum in statu conditionato, hoc est, nisi donet illi gratiam congruam, qua ciues Corozaim destituti fuerunt, & Tyrj instructi fuissent: nam iuxta communiorum illorum sententiam datur gratia congrua in statu absoluto pro priori ad conuersionem absolutam: Et iuxta omnium Catholicorum sententiam gratia efficax confertur his præ alijs absque præcedentibus meritis. Unde omnes concedunt ex parte actus primi, & ex parte Dei aliquam disparitatem inter conuertendos, & non conuertendos, ac salvandum illud Apost. 1. ad Corint. 4. *Quis te discernit.* Omnesque recurrunt ad inscrutabilia iudicia Dei ad salvandam illam questionem: *Cur vnus præ alio vocetur auxilio efficaci quo infallibiliter conuertitur?*

Respondetur tertio, quòd ad increpationem iustam Iudæorum per comparationem ad Gentiles satis fuit æqualitas in auxilijs sufficientibus, quibus possent conuerti, si vellet, ex qua oritur in vtriusque æqualitas obligationis ad conuersionem, quæ transgressa fuit à Iudæis, & adimplenda foret à Tyrjijs: & cum prædicta obligatio fundatur supra posse, & non supra qualitates prædeterminantes; hinc evenit, quòd Iudæi potuerunt iustè à Deo reprehendi non solum reprehensione absoluta, sed etiam comparatiua saltem proportionali. Contra istas solutiones non cessant PP. Societatis reclamare pluribus replicis; sed ad eas abundè consistabit ex aliorum argumentorum solutione.

Ad confirmationem responderetur solutione data tract. 4. supra citato num. 79. quòd Scriptura in illis testimonijs tantum intendit in homine esse liberum arbitrium: Quod omnes Thomistæ sine vlla restrictione fatentur contra Calvinum, & Iansenium: illudque non destrunt, sed potius fulciunt cum qualitate prædeterminante, cum sit applicatio physica Dei ad actum liberum voluntatis. Unde prædictis testimonijs nihil concluditur contra nos.

Argui-

76 Arguitur secundò ex Tridentino: Quia nulla gratia actualis datur distincta à gratia excitante, nec gratia adiuuans vt *adiuuans* est præueniens nostrum consensum: ergo non datur gratia ab intrinseco efficax consistens in qualitate prædeterminante. Consequentia est legitima: quia talis qualitas, prout à nobis ponitur est præueniens, & distincta à gratia excitante. Antecedens probatur ex prædicto Concilio. sess. 6. tum can. 4. vbi definit: *Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti; atque vocanti: anathema sit.* Ex quibus verbis colligitur, gratiam excitantem esse cooperantem; sed gratia cooperans est gratia adiuuans, quia vt excitans dat vires, & vt adiuuans iam cooperatur: & gratia vt cooperans non est præueniens, quia cooperatur simultaneè: ergo iuxta Trident. non datur gratia actualis præueniens distincta ab excitante. Tum etiam cap. 5. vbi Concil. ait: *Vt: per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam: eadem gratia liberè assentiendo, & cooperando, disponatur;* sed assentiri eidem gratiæ significat, gratiam excitantem, & adiuuantem esse eandem gratiam, quia dum quis assentitur gratiæ, iam gratia exercet suum officium tam sub munere *excitantis*, quam sub munere *adiuuantis*; & cooperari significat concursum simultaneum eiusdem gratiæ: ergo idem quod prius.

Explicatur hoc: Nam gratia vt *adiuuans*, non vt *excitans*, est cooperans; sed gratia cooperans non est præueniens, sed concomitans: ergo dum Concilium docet, non cooperari gratiæ adiuuanti, non recognoscit gratiam adiuuantem præuenientem. Minor probatur: nam cooperari cum alio est simul operari cum illo; sed hoc non est proprium gratiæ præuenientis sed concomitantis: quia vt præueniens præuenit concursum arbitrii: ergo iuxta Concilium gratia cooperans, quæ simul est adiuuans, non est præueniens, sed concomitans.

Ad hoc argument. responderetur, satis constare ex dictis num. 45. Concil. Trident. stare pro gratia, quæ vt *adiuuans* sit præueniens, & realiter distincta ab excitante. ¶ Sed pro maiori intelligentia Concilij notandum est, gratiam actualem diuidi in operantem, & cooperantem: gratia operans iuxta explicationem NN. Salm. tract. 14. disp. 5. ad mentem D. Thom. consistit in qualitate fluida essentialiter requisita ad primum actum intellectus, & ad primum actum indeliberatum voluntatis: quia cum prædicti actus sint vitales, & supernaturales, nequeunt non supponere potentias elatas intrinsece per prædictam qualitem; aliudè iuxta D. Thom. 1. 2. quest. 111. art. 2. gratia operans dicitur illa, per quam solus Deus est mouens: & hoc tantum verificari valet de prædicta qualitate, quam Deus sine nobis ope-

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

ratur, secus verò de ipsis actibus indeliberatis. Ex quo inferitur, prædictam gratiam operantem esse duplicem cum distinctione reali: quia voluntas indiget intrinsece eleuari ad affectionem indeliberatam, sicut intellectus, & non tantum extrinsece per aliquid pertinens ad ipsum intellectum. Gratia cooperans dicitur illa, per quam voluntas mouetur ad operationem supernaturalem procedentem ex deliberatione proprii suppositi: & per hoc præcisè distinguitur à gratia operante. Unde totum id, quòd proxime concludit ad prædictam operationem, dicitur verè cooperans, quamvis sit aliquid præuium cum prioritate naturæ respectu illius.

Notandum est vterius, gratiam prout ab omnibus Theologis cum Scriptura, & SS. PP. diuiditur in excitantem, & strictè adiuuantem, coincidere omnino cum diuisione gratiæ in operantem, & cooperantem; itaut gratia excitans sit operans, & consequenter consistat in qualitate fluida requisita ad primum motus voluntatis, ad quam reductiue pertinet ipsi motus, & omnis gratia sufficiens requisita ad operationem deliberatam; & gratia adiuuans sit cooperans causans ipsam operationem deliberatam. In quo sensu docet D. Thom. quest. 114. in principio quest. quòd meritum est effectus gratiæ cooperantis. Ex quibus duo inferuntur, & quòd gratia excitans sit distincta realiter à gratia adiuuante, & quòd gratia adiuuans non consistat in concursu simultaneo: quia concursus simultaneus Dei, iuxta principia scientiæ mediæ, non est causa operationis ex defectu distinctionis realis.

Notandum est vltimò (vt sic explicemus energiam Concilij, & rigorosam significationem suorum terminorum, quam observare Concilium non negat aduersarij) non esse idem assentiri Deo excitanti, ac cooperari gratiæ adiuuanti, licet actus noster salutaris sit absque distinctione reali assensus, & cooperatio: quia non est idem suadere aliquid, & adiuuare ad illud. In cuius signum valet, quòd diabolus suadet malum, & non adiuuat ad illud; & cum *adiuuare* idem sit, ac cooperari, manifestè inferitur non esse idem assentiri Deo excitanti, seu suadenti, ac cooperari Deo adiuuanti.

Ex his ergò responderetur ad argumentum mentem Concilij non esse, quòd gratia adiuuans sit eadem cum gratia excitante, sed tantum intendit, quòd dum adest consensus liber salutaris, liberè assentimur gratiæ excitanti, & simul cooperamur gratiæ adiuuanti, & quòd gratia adiuuans sit præueniens, vt colligitur ex illa particula *disponatur*. Nec contra hoc obest altera particula *eidem gratiæ* qua innuitur esse eandem gratiam excitantem, & adiuuantem. Nam sicut excitans potest dici eadem, non obstante quòd alia datur pro illuminatione intellectus,

T

S

& altera pro affectione indeliberata, ita potuit dici esse eandem gratiam prevenientem, quæ resultat ex excitante, & adjuvante.

Ad illam maiorem explanationem responderetur, non esse contra rationem gratiæ cooperantis, quod prioritatis naturæ præcedat operationem liberi arbitrii, vt clarè demonstratur in notabili ultimo, & comitat evidenter ex verbis D. Prosperi alibi adductis: *Divina voluntati impie voluntas humana præfertur, vt ideo quis adiuvetur, quia voluit; non ideo quis adiuvetur, vellet.* Quo quid clarius?

77 Arguitur tertio ex D. Augustino. Primo: nam lib. de prædest. SS. cap. 5. docet, quod Nabuchodonosor, & Pharaon fuerunt æquales in omni gratiæ preveniente, quæ in vno fuit efficax, & in alio inefficax, insignum quod non datur gratiæ ab intrinseco efficax. Secundo: Nam lib. 12. de civit. Dei cap. 6. asserit, quod ex duobus iuvenibus æqualiter affectis dispositione corporali, & auxilio sufficienti, & eadem tentatione tentatis, si vnus consentiat, & alter resistat, hoc pendet vnice tantum ex causa ex determinatione suæ voluntatis, & non ex alio auxilio ab intrinseco efficacit. Tertio: Nam lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. dicit, quod ad cenam magnam plures sunt vocati eadem vocatione, quæ fuit efficax in aliquibus, & in alijs inefficax, quia ex diversa attemperante illorum vocatio in illis erat congrua, fecus vero in istis. Idem videtur docere in lib. de Bon. perfeco. cap. 14. Sentit ergo, quod non datur gratiæ ab intrinseco efficax.

Confirmatur primò ex eodem S. Doctore, qui pluribus in locis efficaciam gratiæ revocat ad vocationem congruam, collatam scilicet in circumstantijs quibus per scientiam mediam prævidit Deus, sortituram esse suum effectum. Hoc enim constat primò in loco citato ad Simplician. vbi sic concludit: *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, & vocantem non respuat.* Constat secundo prop. SS. circa Rom. 8. vbi ait: *Non omnes, qui vocati sunt, secundum propositum vocati sunt.* Hoc enim propositum ad præscientiam, & prædestinationem Dei pertinet: nec prædestinavit aliquem, nisi quem præscivit crediturum &c. Constat tertio in epist. 49. cap. 2. vbi inquit: *Tum voluisse hominibus apparere Christum, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Ergo efficaciam gratiæ non revocat à S. Augustino, nisi ad vocationem collatam in circumstantijs, quibus per scientiam mediam prævidit Deus sortituram esse effectum.

Confirmatur secundo ex eodem S. Doctore, qui multoties explicat efficaciam motionis divinæ modo morali, nempe per vocationem, pulsationem, illuminationem, inspirationem, per amorem, & delectationem. Nam imprimis

tract. 26. in Ioann. ait, homines trahi amore, & delectatione. Deinde ferm. 13. de verbis Apost. ait: *Qui aguntur à Spiritu, amore aguntur.* Rursus lib. 2. Contra duas epist. Pelagian. cap. 9. dicit: *Tum bonum concupisci incipit, quando dulcescere cepit.* Et tandem lib. de Peccat. merit. cap. 17. *Cum autem ab illo illius adiutorium deprecamur: quid aliud deprecamur, quam vt aperiat, quod latebat, & suave faciat, quod non delectabat.* Ergo iuxta S. Doct. auxilium efficax non consistit in qualitate physice movente, sed in motione morali, quæ ex actibus indeliberatis cogitationis sanctæ, & amoris calefcit.

Ad hoc argument. & confirmationes breviter responderetur (iuxta dicta tract. 3. disp. 5. §. 9.) D. Augustinum non excludere in omnibus illis testimonijs auxilium ab intrinseco efficacit: alias esset contrarius sibi ipsi, cum in pluribus alijs relatis in hoc dubio illud fateatur. Quod fieret evidens, si verba D. Augustini tota orationis serie producerentur, & non truncata, & mutila obijcerentur. Nam imprimis pro primò exemplo expresse designat speciale Dei auxilium collatum Nabucodonosori, & negatum Pharaoni. Ait enim: *Hic quicumque respondet, illi vt mutaretur, adfuisse divinum præsidium: huc, vt induraretur desuisit. Intellegat illa omnia, vel Deo adiuvante perfici; vel deserenti permitti.* Deinde exemplum duorum iuvenum adducit ad probandam id, quod contigit Angelis bonis, & malis: & cap. 9. sequenti expresse concedit, quod speciale adiutorium collatum fuit Angelis bonis, vt perseverarent, quod malis non concessum est. Tandem pro exemplo vocatorum ad cenam post verba, quæ ad longum solent nobis obijcere adversarij, statim adiecit pro maiori explanatione suæ mentis: *Præcipitur, vt credamus (De hoc erat tota quæstio in casu vocatorum ad cenam) .... Sed quis potest credere, nisi aliqua vocatione... tangatur? Quis habet in potestate tali visione attingi mentem suam, quo eius voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo complectitur aliquid, quod eum non delectabat? Aut quis habet potestatem, vt vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet, cum occurrerit? Cum ergo ea nos delectans, quibus proficiamus ad Deum inspiratur hoc, & præbatur gratia Dei.* Quibus adde: Nam D. August. in lib. de Prædestinat. SS. cap. 6. radicem discretionis credentis à non credente reducit ad gratiam, quæ voluntas credentis preparatur à Domino, vt velit credere, quæ non preparatur voluntas alterius. Et hoc sufficit pro solutione argumenti.

Ad confirmationem responderetur (iuxta dicta à nobis tract. 3. disp. 5. num. 59.) Div. Augustinum nomine præscientiæ intelligere prædestinationem, vt potest videri lib. de Dono

per-

perferi. cap. 18. & nomine prædestinationis decretum efficax Dei de qualibet re bona prædeterminata, sive absolute, sive conditionate, vt constat ex illis verbis, quæ habentur in lib. 1. de prædest. SS. cap. 10. *Prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Hoc etiam constat ex quæst. illa, quam D. Prosper. D. Augustino proposuit explanandam: *virum per præscientiam possit stare propositum? An verò uniformiter præscientia sit submixta proposito? Quæ quæstio habetur in epist. D. Pros. ad D. August. & habetur ante libros de prædest. SS. Cui respondetur in eodem lib. de Prædest. cap. 9. his verbis: Cernitume sine præiudicio latentis consilij, aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse &c.* Per quæ facile patet ad tria testimonia, quæ in prima confirmatione nobis obijciuntur, & ad omnia alia quæ ex D. August. circa efficaciam divinæ gratiæ ex Dei præscientia desumptam obijci possunt.

Ad secundam confirmationem responderetur, ad intentum adversariorum non sufficere, quod adducat testimonia, in quibus Augustinus, & alij PP. nec non Scriptura explicant multoties, & frequenter motionem Dei modo morali; sed insuper desiderari, quod nullum sit testimonium, in quo agnoscat motionem physicam Dei. Nos enim, non negamus motiones morales Dei; sed vltimus tenemur concedere præter has aliam motionem physicam cum D. August. qui illam adstruit in pluribus locis relatis in hoc dubio, & fortè in ipsis quæ nobis obijciuntur, si attente, & non mutila legantur. Frequentius tamen recurrit Div. August. & alij PP. ad motiones morales, quia sunt aptiores ad explicandam nostram libertatem, quam docere satagunt, dum loquuntur de illis.

78 Arguitur quartò ex D. Thom. qui aliquibus in locis videtur concedere, præscientiam futurorum præcedere decretum, & prædestinationem: ex quo colligitur efficaciam gratiæ desumi ex præscientia effectus futuri conditionate. Sed ad hæc testimonia satis liquet ex dictis tract. 3. disp. 5. §. 10. ¶ Alijs in locis videtur D. Thomas recurrere pro efficaciam gratiæ ad moralem motionem: pro qua videntur adversarij præcipue duo testimonia. Primum habetur super 6. caput Ioann. lect. 5. Sed pro hoc vide, quæ loco proxime citato, & supra in hoc dubio num. 44. diximus. Secundum habetur quæst. 6. de Verit. art. 3. Ad hoc tamen, & similia sufficienter responderetur responsione proxime data ad secundam confirmationem, quæ resultat ex testimonijs D. August. ad prædictam motionem conducentibus. ¶ In alijs testimonijs nimis exaggerat dominum voluntatis create, voluntatemque se determinare in omnibus suis actibus liberis, & deliberatis. Sed hæc tantum pro-

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

bant veritatem catholicam, quæ non negamus, videlicet hominem habere liberum arbitrium; sed potius eidem testimonijs illam probamus contra Calvinum, & Iansenium. ¶ Alia testimonia adducuntur ad suadendum, voluntatem creatam posse resistere cuilibet gratiæ, & impedire efficaciam illius; quod verificari non valet, si efficaciam gratiæ consistit in qualitate physice prædeterminante. At hæc testimonia nunc omitimus, quia ea adducemus infra, dum proponamus argumenta à ratione. ¶ Alia testimonia solent adduci ad probandum, quod influxus divinus determinatur, & specificatur per causam creatam: quo nihil magis ad verum qualitatem prædeterminanti. Sed pro his recole, quæ diximus tract. 4. disp. 3. num. 83. Unde solum obijciemus duo testimonia, quæ in prima confirmatione nobis obijciuntur, & ad omnia alia quæ ex D. August. circa efficaciam divinæ gratiæ ex Dei præscientia desumptam obijci possunt.

Primum habetur quæst. 22. de Veritate art. 6. in corp. vbi ait: *Ex hoc dicitur aliquid esse necessarium, quod est immutabiliter determinatum ad unum; sed auxilium ex se & ab intrinseco efficax immutabiliter determinat ad vnum: ergo non potest concedi iuxta D. Thom. pro actibus liberis.* Secundum desumitur ex 2. dist. 39. quæst. 1. art. 1. in corp. vbi inquit: *Ipsa autem potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura: sed quod determinate exeat in hunc actum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Sed de ratione qualitatis à nobis propugnata non solum est determinare, sed etiam prædeterminare, hoc est determinare voluntatem creatam, priusquam ipsa se determinet: ergo iuxta Div. Thomam non potest concedi prædeterminatio physica ad actus liberos.

Ad primum testimonium responderetur, sensum D. Thom. tantum esse, quod determinatio proflus immutabilis pro modum naturæ inducit actum omnino necessarium: quo modo determinatur causa secunde, quæ non agunt cum indifferentia iudicij. Sed determinatio ad vnum, quæ præsupponit iudicium indifferens, & non excludit electionem & determinationem voluntatis, quamvis sit immutabilis, non inducit necessitatem in actu: & hoc modo determinat auxilium ex se, & ab intrinseco efficax, seu qualitas prædeterminans propugnata à Thomistis. Et quod hæc sit mens Div. Thom. constat primò ex contextu totius articuli. Secundò, quia quæst. 3. de Potent. art. 7. ad 13. dicitur: *Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ: sed quia causa prima non ita agit, quod eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam.* ¶ Ad secundum responderetur, quod quando D. Thom. in illo loco, & fortè in alijs, inquit voluntatem solum se determinare, & positive excludit ab alio determinari, solum loquitur de determinatione alterius creati determi-

Te 2

gan 4



nantis quia à nullo alio præter Deum potest revèrè determinari. Vel si loquitur de determinatione activa Dei, debet intelligi de determinatione per modum naturæ: vt proximè vidimus, & constat ex alijs innumeris eius locis.

## §. XIV.

Primum fundamentum à ratione, simul & autoritate.

79 **A**rguitur quintò: Quia nulla gratia, cui voluntas nostra potest resistere, est gratia physice prædeterminans; sed omnis gratia, cum qua defectò operamur, est gratia, cui voluntas potest resistere: ergo nulla gratia, cum qua defectò operamur, est physice prædeterminans. Syllogismus est in *Celarem*. Minor videtur de fide. Et solet probari ab adversarijs primò ex Trident. sess. 6. cap. 5. vbi ait, quòd homo potest abjicere motionem Dei. Et can. 4. vbi ita definit: *Si quis dixerit: liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari Deo excitanti, atque vocanti: neque posse dissentire, si velit.... anathema sit.* Secundo ex Concilio Senon. decreto 15. vbi inter alia hæc dicit: *Nec denique tale sit huiusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit.* Tertio ex D. August. lib. 3. de Lib. arbit. cap. 18. vbi ait: *Quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur.* Quarto ex Div. Anselmo ad illa verba Matth. 6. *fiat voluntas tua*, vbi loquens de efficacissima gratia, qua D. Paulus conversus est, inquit: *Licet percussus fuerit Paulus; tamen voluntas eius libera erat, vt resisteret, si vellet.* Quintò ex D. Thom. quodlib. 1. art. 7. ad 2. vbi dicit: *Sic movet Deus mentem humanam ad bonum, quòd potest huic motioni resistere.* Tandem ex decreto Innoc. X. damnantis vt hæreticam propositionem illam Iansenij, *Interiori gratie in statu nature lapsæ, nunquam resistitur.* Quòd decretum postea innovavit Alexand. VII. contra aliquos iniquitatis filios. Et novissimè Clemens XI. proscrībens eandem propositionem, quæ est decima tertia inter alias, quas damnat.

Maiores verò, in qua est tota difficultas, suadet primò: Nam si voluntas posset resistere gratiæ physice prædeterminanti in aliquo verò sensu, posset coniungere resistentiam cum prædicta gratia: sicut resistere voluntati Superioris præcipientis, amici consiliantis, Ecclesiæ desinenti, & tentationi ad malum incitanti est coniungere resistentiam cum præcepto, cum consilio, cum definitione, & tentatione; sed voluntas non potest coniungere resistentiam cum gratia physice prædeterminante, quia hæc est metaphysice connexa cum consensu: ergo non est gratia physice prædeterminans, cui vo-

luntas posset resistere. *Secundò*: Nam voluntas divina, cui voluntas nostra potest resistere non est physice prædeterminans, & ab intrinseco efficacax: ergo nec gratia illa, cui voluntas potest resistere, est physice prædeterminans, & ab intrinseco efficacax. Consequentia liquet: quia hæc est effectus omnino indispensabilis, in nostra sententia, voluntatis Dei physice prædeterminantis, & non nisi mediante illa explicat suam efficaciam erga nostram voluntatem. Antecedens verò constat ex Scriptura, vt potest videri numer. 50.

Hoc argumentum, quod magnificunt PP. Societatis est efficacissimum contra Calvinum, Iansenium, qui nullam gratiam agnoscebant præter efficacem. Sed parum, aut nihil premit Catholicos. Apud quos constantissimum est dari gratiam sufficientem separabilem ab efficaci, cui voluntas potest resistere. Non minus certum est apud eos, dari gratiam efficacem, cui reduplicativè vt tali non potest resistere. Cum hoc tamen discrimine inter scholam Societatis, & Thomisticam, quòd hæc defendit dari gratiam ita efficacem ex se, vt voluntas nostra non possit illi secundum se resistere, illa verò negat.

Et iuxta hæc respondetur ad argumentum solutione communiori Thomistarum (missis illiquibus modis dicendi, qui ad illam reduci possunt) concedendo maiorem; & negando minorem. Et ad primam probationem, ex Trident. depromptam, dicimus ex Concilio solum inferri voluntatem nostram posse abjicere gratiam excitantem, seu sufficientem. Quòd liquidò constabit, si super illius verbis fiat mediocris reflexio: nam illo cap. 5. inquit, quòd homo potest abjicere inspirationem illam, quam, Deo tangente cor eius per Spiritus sancti illuminationem, vitaliter recipit; inspiratio autem, & illuminatio ad gratiam excitantem, seu sufficientem spectat, & non ad efficacem seu adiuvantem, cuius munus tantum est applicare ad opus, postquam voluntas est excitata, & instructa omni auxilio sufficienti. Et propterea ex prædicto Concilio probavimus supra, gratiam adiuvantem distingui realiter ab excitante. Item in illo can. 4. definit, liberum arbitrium motum, & excitatum cooperari libèrè assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, itaut possit dissentire. Unde iuxta Concilium tantum potest dissentire illi gratiæ, cui iuxta idem Concilium cooperatur assentiendo: cooperatur autem Deo excitanti, atque vocanti: tum quia ita expresse definit Concil. tum quia assentiendi, proprie loquendo, non potest appellare supra gratiam adiuvantem & applicantem, sed supra gratiam excitantem & inspirantem, vt notavimus num. 76. Manet ergo, quòd Concilium tantum loquitur de gratia excitanti, dum ait, quòd liberum arbitrium potest gratiæ resistere.

Sed

## Dub. II. In quo consistat auxilium, seu gratia efficacax?

80 Sed contra hanc solutionem obieciens: Nam Concilium in illo cap. 5. loquitur de gratia efficaci seu adiuvante, vt probavimus prædictò num. 76. necnon in can. 4. iuxta illa verba, *motum, & excitatum*: & in vtroque loco conciliat nostram libertatem cum illa. Siquidem per hoc damnat errorem Calvinij, qui ratione gratiæ efficacis libertatem negabat; sed Concilium definit libertatem per posse abjicere, & dissentire: ergo determinat, quòd datur in nobis posse ad dissentiendum gratiæ efficaci. *Urgetur*: Nam error Calvinij erat esse aliquod auxilium necessitans, cui voluntas non potest dissentire: ergo cum hæc damnatur à Concilio, contradictoria illius definitur ab eodem Concilio. sed contradictoria illius est hæc, *nullum est auxilium necessitans, cui voluntas non possit dissentire*: ergo auxilio efficaci potest dissentire.

Confirmatur primò. Nam error Calvinij stat in hac propositione, *Voluntas alicui auxilio non potest dissentire*: & iuxta prædictam solutionem Concilium tantum decernit, quòd *voluntas alicui auxilio potest dissentire*; sed illæ propositiones possunt esse simul veræ, quia sunt contrariæ: ergo iuxta nostram solutionem nihil damnat Concilium in Calvino.

Confirmatur secundò Concilium asserit, quòd voluntas potest abjicere inspirationem, quam recipit, & dissentire excitationi cui assentitur: ergo loquitur de gratia cum assensu coniuncta; sed hæc est gratia efficacax: ergo iuxta Concil. voluntas potest dissentire gratiæ efficaci.

Confirmatur tertio. Nam iuxta Concil. voluntas potest abjicere eam gratiam, quæ postulamur, & oramus dicentes, *Convertito nos Domine ad te, & convertemur*; sed hæc gratia est efficacax: ergo.

Ad obiectionem respondetur, concedendo maiorem, quoad omnia quæ continet. Minor etiam est vera, si loquatur de potestate dissentendi gratiæ excitanti. Sed est omnino falsa intellecta de potestate dissentendi gratiæ efficaci; nam ad libertatem non requiritur potestas ad abijciendam omnem gratiam, nec hoc docet Concilium; sed sufficit potestas ad dissentium, & libertas consensus composita cum omni gratia, & simul potestas resistendi gratiæ excitanti. Et quòd hoc sufficiat, constabit facile callenti intentum Concilij: hoc enim tantum intendebat iugulare errorem Calvinij, qui cum gratia efficaci non componebat potestatem absolutam ad dissentium, nec libertatem consensus: ergo dum salvetur, vt omnes Catholici salvant, potestas ad dissentium, dum adest gratia efficacax, salvatur intentio Concilij: & parum interest, quòd non detur potestas abijciendi gratiam efficacem. Quòd adversarij tenentur fateri: quia in eorum sententia non est potestas ad dissentiendum gratiæ efficaci vt efficaci: nec præ-

definitioni, qua Deus decernit conferre auxilium efficacax, quia efficacax; sed quia cum hoc componitur potestas ad dissentium, salvatur apud ipsos intentio Concilij.

Ad urgentiam responderet negando antecedens. Nam error Calvinij non rectè exponitur per propositionem ibi contentam, sed per hanc, *Aliquod est auxilium, cum quo voluntas non potest dissentire*: & hanc anathematizat Concilium, quia non componit cum gratia efficaci potestatem ad dissentium, ac proinde tollit libertatem. Per quod constat ad primam confirmationem.

Ad secundam responderet verum esse, quòd Concilium loquitur de inspiratione, quæ coniuncta est cum consensu; at hoc non habet ex proprijs meritis cum illo coniungi, sed ratione gratiæ adiuvantis, & applicantis. Unde ea semper remanet intra lineam gratiæ sufficientis. ¶ Ad tertiam responderet, negando absolute maiorem. Quia solum illam gratiam iuxta Concilium homo potest abjicere, de qua dicitur in Scriptura, *Convertimini ad me*, & per quam ex Concilio *nostræ libertatis admonemur*: hanc autem non petimus, quia omnibus Deus illam præstat.

81 Ad secundam probationem ex Concilio provinciali Senonensi adductam num. 79. respondetur, Concilium in eius verbis obieciis non loqui de gratia efficaci, sed de sufficienti: quia Concilium loquitur de gratia, quæ defectò sapius resistitur, vt constabit totam eius auctoritatem legendi, vbi loquitur de resistentia, quæ actualiter resistebat Iudæi Spiritui sancto, ob quam increpatur à D. Stephano; gratiæ autem efficacæ nunquam resistitur, vt etiam clamant PP. Societatis. ¶ Nec contra hoc obest, Concilium loqui de auxilio Dei trahentis, per quod intelligitur auxilium efficacax iuxta Magn. Parentem August. qui lib. 1. Contra duas epist. Pelagian. hoc modo exponit illa verba: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Non, inquam, obest: nam auxilium sufficiens etiam potest dici trahens, quatenus moraliter excitat: & in hoc sensu Apoc. 12. dicitur de dracone, quòd trahabat secum tertiam partem stellarum, id est moraliter, obiectivè alliciendo. Et in eodem sensu accipi potest illud Ioann. 12. *Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*: Quia certum est non trahi omnes efficaciter. Adde: prædictum Concil. fuisse provinciale, & hæcenus non esse à Papa approbatum: & propterea ex illo non debet efficacax argumentum desumi.

Ad tertiam, quæ desumitur ex testimonio D. Augustini, responderet, iuxta dicta tract. 4. disp. 3. num. 82. S. Doct. loqui de causis creatis graviter alliciendis, vt contingit in moribus subitis, secus verò de causa divina efficaciter movente voluntatem creatam semel in-

stru